



## FRANCESCO MINORITA di Praga e le aggiunte [ADDITIONES] ai Sermoni di Francesco degli Abbati di Asti.

**Franciscus Minorita** (O. F. M.), Praga fine del Trecento e inizio del Quattrocento: Autore delle **additiones** ai Sermoni di Francesco degli Abbati O.F. M.

Generalní Studium Minoristké u sv. Jakuba: František, figliomdi un macellaio, Lettore negli anni 1375 e 1283, Senior nel 1404 : si dice che probabilmente Francesco è autore dei Sermoni scitti circa il 1380, codice Praha NK VII B 16: *Sermones Erunt signa in sole... Quamvis Ihesus Christus... et consilium a sapientibus querere*) in: Jaroslav Kadlec, *Reholní generalní studia při Karlově Universitě v době předhusitské*, Acta Universitatis Carolinae–Historia universitatis Carolinae Pragensis , 7 (1966) fasc. 2, 63-108; l'attribuzione è definitivamente smentita: J. Tříška, *Příspěvky středověké literární Universitě*, in: Acta Universitatis Carolinae–Historia Universitatis Carolinae Pragensis , 9 (1968) fasc. 1, 7-28: Franciscus non est auctor *Postillae Erunt signa... Quamvis Ihesus Christus*, cuius *Postillae* vero auctor est Franciscus de As O.M.'. Ma anche questo non è esatto: agli stessi Sermoni di Francesco degli Abbati Francesco Minorita ha aggiunto le Additiones, come risulta dai miei studi e dettagliate analisi; ad esempio di dimostrazione pubblico qui il primo Sermone *Erunt signa* .

Esistono vari codici alla Biblioteca Universitaria di Wroclaw tra cui il codice I Q 289 Cl. Jadzewski nel suo *Catalogus manu scriptorum codicum Medii Aevi latinorum signa 180-260 comprehendens* (Bibliotheca Universitatis Wratislaviensis), Wratislaviae 1982, annota che nel codice citato si trovano ai ff. 47v-144r "sermones integri" di **Franciscus de Abbatibus (Astensis) O. F. M. (s. XIV med.)**. Ora in tale codice i *Sermones* si concludono a un certo punto con una determinata frase e col detto: "Hec est sententia generalis". Cf. Ioh. Bapt. Schneyer, *Repertorium der lateinischen Sermones des Mittelalters für die Zeit von 1150-1350*. Vol.1-8. Münster 1969-1978.

Nel codice VII B 16 della biblioteca Nazionale (Clementinum) di Praga dopo il detto "Hec est sententia generalis", i Sermoni [già intutto erroneamente attribuiti a un certo **Franciscus Minorita** di Praga della fine del Trecento, ma sicuramente di Francesco degli Abbati], continuano con ulteriore esposizione (Sententia particularis, Explanatio, ecc.). Questa parte, che non esiste nei codici dei Sermoni di Wroclaw, viene considerata parte integrante dei Sermoni di Francesco degli Abbati ma per contenuti e riferimenti non può essere di Franciscus de Abbatibus e si può attribuire a Franciscus Minorita di Praga morto nei primi anni del Quattrocento, soprattutto se si vorranno prendere in esame gli *Explicit* dei Sermoni indicati nel codice VII B 16 di Praga dove troviamo (solo) i seguenti *Sermones*:

In Dominicis I-II-III-IV Adventus; In Dominica infra Octavam Nativitatis Domini; In Ascensione Domini Ascendit Moyses de campestribus, In Ascensione Domini (alter) Ascendit iter pandens, In Dominica infra Octavam Ascensionis Domini, In Dominica Pentecostes [Io. 14,23]; in Dominica Pentecostes de Spiritu Sancto Effundam de Spiritu meo [Johel 2,28], In Dominicis post Pentecosten I-XXII (tutte le domeniche dopo Pentecoste dalla prima alla ventiduesima).

Occorre precisare che i *Sermones* di Francesco degli Abati non ebbero particolare fortuna nelle terre di Boemia e Moravia dato che tenendo conto dei codici medievali giunti fino a noi ci si deve limitare a due soli manoscritti. I codici che contengono *Postilla* o *Quadragesimale* di Francesco degli Abati di Wroclaw e di Pelplin non sono comunque di origine boema o slava.

(a cura di Romolo Cegna. Monza 22 febbraio 1996)

Franciscus de Abbatibus Astensis, *Sermo in Dominica I Adventus*, ubi legitur in fine Explanatio per Franciscum Minoritam.

*Sermones Francisci de Abatibus ms. Praha NK VII B 16* [J. Truhlář, *Catalogus Ciodicum Manu Scriptorum Latinorum qui in C. R. Bibliotheca Publica atque Universitatis Pragensis asservantur*, Praga 1905, no1242]; ms. Wroclaw BU I F 186 (213) [ff.331vb-332ra] e ms. Wroclaw BU I Q 289 [ff. 123v-126r]: *Catalogus manu scriptorum codicum Medii Aevi Latinorum signa 180-260 comprehendens* , compositus a Constantino Cl. Jazdzewski, Wroclaw, 1982: 156-161, ff. 327va-332vb, Franciscus de Abbatibus (Astensis) O. F.M. ,sec. XIV med., Sermoneum 36 ( In fine legitur *Explanatio* quam per mea studia tribuo Francisco Minoritae de Praga; In Sermonebus *Explicit* collatum est secundum Catalogum cum *Explicit* in : Ioh. Bapt. Schneyer, *Repertorium der lateinischen Predigtreihen des Mittealters für die Zeit von 1150-1350*, vol. 1, München 1969-1978, , vol. 2, pp.56-58 et 55, nri 19-23, 24-48,1-5; In Catalogo Wroclaw *Sermo in Dominica I Adventus* , nr. 32, p. 160; *Collatio fit cum ms. I F 186; I Q 289 (Codices sine additionibus); sine additionibus sunt etiam ms. Praha NK II C 17; VIII G 17.*

### Sermo in Domenica I Adventus

*Erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura [gentium] Luca 21 [Luc. 21,25]. Quamvis Ihesus Christus in morte cuiuslibet singulare iudicium secundum merita et demerita iuste exerceat, tamen quia tale iudicium nobis est occultum et quod ad penam et imperfectum quo ad gloriam et solum respectit hominum et non demonum, ideo necesse est universale iudicium omnium simul vivorum et mortuorum in fine mundi esse futurum quod erit manifestum quia*

omnia omnibus erunt nota. Erit perfectum quia tam boni quam mali in corde et anima premiabuntur. Et generale quia demones et angeli ministri secundum merita perfectam mercedem recipient. Et de hoc iudicio sic loquitur ewangelium hodiernum in qui iudicio fiet illa que in mundano iudicio consueverunt fieri. Videmus enim in mundano iudicio in quo publicus latro captus condempnandus ad mortem quatuor concurrere. Primum est tuba precedens omnes convocans ad sententiam audiendam. Amos II (*Amos 2,2b*): "Morietur Moab", id est reus, "in clangore tube". Secundum est scriptura confessionis proprie coram populo legitima in proprie condempnacionis argumentum. Hester XII (*cf. Esther 12,2-3*): "Duos servos confessos quod manum mittere vellent in regem iussit rex duci ad mortem". Tercium est sententia ab ore iudicis in reum lata ad mortis supplicium sustinendum. Exodus XXII (*Exod. 22,18*): "Non pacieris maleficos vivere super terram". Quartum est obediencia ministrorum trahencium reum ad puniendum. II Mach. VI (*2 Mac. 6,28*): "Hiis dictis trahebat ad iudicium reum". Ista eciam III<sup>or</sup> erunt in extremo iudicio vivorum et mortuorum. Et hec III<sup>or</sup> clare describuntur in ewangelio scilicet: novitates precedentes tamquam formidabiles, ibi "Erunt signa, etc."; potestates obsequentes tamquam servi commendabiles, ibi "Nam virtutes celorum"; iudices eminentes tamquam reges venera-|<f.Irb> biles, ibi "Videbunt Filium hominis". Et rationes evidentes tamquam confessiones demonstrabiles, ibi "Videte ficulneam [**Hic terminat transcriptio Sermonis in ms. 213 (I F 186) f.332ra**] Primo ergo describitur finale iudicium quantum ad novitates procedentes que valde erunt formidande. Et hec novitates erunt circa corpora celestia, circa elementa, circa hominum vitam de quibus dicitur: "Erunt signa in sole et luna et stellis". Qualia autem sint signa notatur Mt. XIX ubi dicitur: "Sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stelle cadent de celo". Signum enim in sole erit eius obscuracio que obscuracio accipi potest quantum ad lucis privacionem. Tunc enim fiet eclipsis universalis auferens lucem ab omnibus partibus terre quod in nullo solis eclipsi. Differt ab aliis tum quia erit universalis, tum quia diu durabit, tum quia non erit per lune interposicionem sed secundum virtutem divinam. Vel sol obscurabitur quantum ad maioris lucem fruicionem quia Christus in gloriosa sui apparicione lumen solis obscurabit. Unde Crisostomus (*non inveni*): "Sicut enim luna orto sole obscuratur, sic in gloriosa Christi apparicione sol obtenebrescet vel obscurabitur quantum ad misticam significacionem. Misticse sol enim Christus est qui tunc erit valde obscurus quia in predicacione et miraculis parum clarescet. Ysa. XIII<sup>o</sup> (*Isa. 13,10*): "Obtenebratus est sol in ortu eius", scilicet antichristi. Et ipse antichristus erit valde clarus quia ubique nomen eius, virtus et potencia predicabitur. Item luna non dabit lumen suum propter easdem causas vel propter aeris obscuritatem. Tunc enim mundus succendetur et consumabitur per ignem ex quo aer obscurabitur propter cuius obscuritatem et fumositatem accensam luna lumen suum perdidisse videbitur. De hiis eciam duobus dicitur Iohel III<sup>o</sup> (*Iohel [recte] 2,31*): "Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus et horribilis". Item stelle cadent de celo, non realiter cum multo sint maiores terre, sed lucem suam trahent quia per aliquot dies ante iudicium lumen suum retrahent a nobis ut |<f.Ivb> minime videantur. Iohel III<sup>o</sup> (*Iohel 3,15b*): "Stelle retraxerunt lumen (*recte: splendorem*) suum" vel stelle cadent, quantum ad opinionem vulgi. Quedam vero impressiones ignee generabuntur in aere quas philosophus vocat astra et vulgo stelle nuncupantur que quando desinentes apere videntur stelle cadere propter habundanciam siccitatis in aere que in ultimis diebus maxime habundabit. Secundo erit novitas circa elementa. Nam tunc erit terremotus magnus per loca et sonitus maris et turbacio fluctuum qualis nunquam fuit. Nam secundum Ieronimum (*Nicolai Lirensis Postilla ad Luc.21,25 "Erunt signa etc."*: "*In scholastica historia ponuntur quindecim signa precedentia XV diebus adventum iudicis, [...] Primo die erigetur mare quadraginta cubitis super altitudines montium [...] secundo tantum descendet ut vix videri possit. Tertio marine belue apparentes super mare dabunt rugitus usque ad celum. Quarto ardebit mare [...]. Quinto herbe et arbores dabunt rorem sanguineum. Sexto ruent edificia. Septimo petre ad invicem collidentur. Octavo fiet generalis terremotus [...]. Decimo exhibunt homines de cavernis et ibunt velut amentes. [...] Duodecimo cadente stelle [...]. Dicitur etiam ibidem quod Hieronimus invenit ista in annalibus Hebreorum, in quibus licet sint multa vera tamen sunt ibi multa falsa admixta, et ideo de veiritate seu falsitate istorum signorum iudicium maioribus derelinquo"; cf. Petrus Comestor[† 1178 albo 1179 albo 1198], *Historia Scholastica MPL 198,1053-1844*; cf. Gen. 7,20 "*Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat*") elevabitur mare cubitorum XL super omnes montes. Postea tamen profunde descendet quia quod videri vix poterit. Post bellue marine dabunt mugitus sive rugitus terribiles. Postea mare videbitur totum ardere et ex hiis timor in gentibus et pavor cum pressura in hominibus gravabitur propter quod dicitur hic: "Erit pressura gencium in terris". Hec pressura gencium similiter orietur ex turbacione inimicorum et tymultuorum (?) hereticorum Antichristi et discipulorum eius. Unde quilibet poterit dicere illud Paralip. XXI (*1 Paral. 21,13*): "Ex omni parte angustie me premunt" quia (*cf. 2 Paral. 13,14*) "ex adverso et post tergum imminet bellum michi". Tercio erit novitas circa corporalem hominum vitam. Nam ex timore bellorum et adversorum et ex pavore fluctuum maris et undarum et ex clamore et mugitu piscium deiccabuntur homines et macri et palidi fient. Et ideo dicitur hic: "Arescentibus hominibus pre timore sonitus maris et fluctuum et expectatione malorum que supervenient universo orbi" Nam secundum Ieronimum post confusionem maris et fluctuum videbunt homines herbas et arbores sanguinem pluere omnia edificia ruere petras scissas se ad invicem se collidere et generalem et maximum terremotum fieri. Ex quo timore arescent homines et de abditis exeuntes ibunt quasi amentes et ex iam dictis et ex formidacione maiorum que de proximo |<f.Ivb> expectabunt. Secundo describitur iudicium generale quantum ad potestates obediens de quibus dicit littera: "Nam virtutes celorum movebuntur". Per virtutes celorum ordines angelorum intelliguntur, sicut dicit ibi Gregorius in Omelia: "Quid enim Dominus virtutes celorum nisi angelos, archangelos, principatus, potestates appellat qui conmoveri dicuntur quia in adventu districti iudicis tunc oculis nostris visibiliter apparebunt ut a nobis exigant hoc quod conditor noster patienter circa nos portat", exponitur. Vel: "Angelice potestates dicuntur conmoveri, pavere et conremiscere non timore proprie pene sed horrore divine vindicte. Sicut si quis supra montem existens videret alicuius civitatis magnam combustionem, ex quodam horrore videtur tremere, sic celestes angeli in illa terribili ulcione Domini*

pavebunt et contremiscent. Ysa XXXIII (*Isa. 33,7*): "Angeli pacis amare flebunt". Ideo dicit Ieronimus: " nolite contristari" ut desolacionem cum reprobis paciamini sed "levate capita vestra". Caput sceundum Gregorium sepe mente ponitur quia sicut capite membra reguntur ita mente cogitaciones disponuntur. Respicite ergo, scilicet per fidem ad eterna premia et levate mentes vestras per spem ad eterna gaudia quia appropinquat corporum resurreccio vestra et sic corporis et anime vestra beatitudo perfecta. Quia sicut primus adventus fuit ad reformationem animarum ita secundus ad resurreccionem corporum celebrabitur. Unde Gregorius: " Dum finitur mundus cuius amici non estis prope fit resurreccio et redempcio quam quesivistis. 4<sup>o</sup> describitur hoc iudicium quantum ad rationes evidentes propinquum et certum esse iudicium sicut confessio propria demonstrantes de quibus rationibus dicit litera: "Videte ficulneam et omnes arbores cum producunt ex se fructum sci[tis] quo[niam] pro[pe] est estas" Racio talis est secundum Gregorium: "Sicut ex fructu arboris vicina estas cognoscitur, ita ex ruina mundi que propinqua et manifesta erit per signa iam dicta prope esse regnum Dei cognoscitur". Vel sic: "Sicut adveniente estate virtus solis approximans vivificat ea que frigiditas verni [=hyemis] mortificavit sive mortificaverat, sic adveniente iudicii die appropinquat ad nos verus sol iusticie habens virtutem vivificandi corpora vestra [nostra] que peccati frigiditas occiderat et in pulverem redigerat. Unde Apostolus Phil. III (*Phil.3,20*): "Salvatorem expectamus Dominum nostrum Ihesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostre, configuratum corpori claritatis sue". 2a ratio talis est: quodcumque desinet propagacio generacionis humane tunc adveniet extremum iudicium, sed hec generacio humana non desinet donec omnia signa predicta adveniant, ergo iudicium extremum non fiet donec novitates predictae adimpleantur. 3a ratio talis est: firmiora sunt verba Dei quam celum et terra sed celum et terra non possunt transire id est desinere quo ad suam substantiam, ergo nec verba Dei quin opere compleantur. Que antecedens: verba Dei sint firmiora celo et terra patet quia celum et terra aliquid possunt transire scilicet quo ad qualitates, sed verba divina nullomodo deficient nec carebunt effectum adimplecionis quin compleantur. Et hoc est quod dicit litera: "Celum scilicet aereum et terra scilicet inferior transibunt non quo ad substantiam sed quo ad figuram et corruptibilem qualitatem, "Verba autem mea, dicit Christus, non transibunt" nec quo ad intellectum nec quo ad significacionem, quin opere compleantur. Etr hec est sententia in generali. [ **Hic terminat textus Sermonis in ms. I Q 289**][secundum Catalogus, Wroclaw, in ms. I F 566 habetur explicit: ad mortuorum suscitationem et electorum glorificationem ad quam...; haec verba non invenis in textu de quo supra; similia verba invenis in expositione doctorum ad Mat. 10,8: gratis accepistis, gratis date (cf. Petrus Wisz, Speculum aureum, ed. W. Seńko, p.125).

[*In margine*] (**Scripturalis explanatio**) [Anonimi auctoris bohemi: **Franciscus Minorita?**] In speciali autem fit mencio de IIII<sup>or</sup> scilicet de celi alternacione, de Christi apparicione, de capitis elevacione et de angelorum connoacione. Primo igitur de celi alternacione de qua dictum est "Et erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura gencium". Ubi nota quod IIII<sup>or</sup> sunt Christi adventus. Primus fuit in carne, secundus fit in mentem, tercius in morte, quartus ad iudicandum. Isti IIII<sup>or</sup> adventus nominantur in IIII<sup>or</sup> verbis predictis. Primus scilicet in sole, secundus in luna, tercius in stellis et quartus pressura gencium. De hiis aliquid videamus. [*In margine*] (**De quatuor adventibus Christi. Et...de primo**).

**Primus igitur adventus Christi** fuit in carne de quo dicitur (*Lc. 21,25*): "Erunt signa in sole". Sol iste est Filius Dei qui solus habet lucem inaccessibilem in cuius claritatis comparacione omnis sanctorum claritas est obscuritas propter quod dicitur *Iob XXV (Iob 25,5)* "Stelle non sunt munde in comparacione eius", id est bonitates sanctorum sunt parve sunt parve in eius comparacione. Ideo vocatur sol quia sicut claritas solis incomparabiliter excedat lucem stellarum. Ita claritas sanctitatis<sup>a</sup> et potencie Filii dei omnes sanctos. Et nihilominus dum Filius Dei erat in mundo eius claritas et potencia ita fuit obscurata et maxime in morte quod nulla esse videbatur. Propter quod dicitur *Apokal. VI (Apoc. 6,12b)* "Sol factus est niger sicut saccus cilicinus". Sacco enim materie mortalitatis et humanitatis cooperuit lucem sue divinitatis. [*gl. ord.* Tamquam saccus cilicinus: «Lux in sacco posita extra non lucet: fideles lucem predicationis non effundent » Nessuna glossa simile nello Pseudo-Alberto, nell'Opus arduum valde e In Apocalipsim X F 2] Sed tunc factus est sol niger quia humanitas Christi mortua est in cruce cum in ea non esset species neque decor et tunc fuerunt signa in sole id est in Christi corpore. Sed que signa certe vulnera eius que fuerunt qui nam et ista vulnera fuerunt circum figuram adventus Filii Dei in carnem quia illa vulnera quai per ila vulnera et tam duram passionem nec solus Deus sentire nec solus homo potuit superare. In isto ergo benedicto sole id est in corpore Christi fuerunt signa quinque id est V<sup>que</sup> vulnera figurata in V<sup>que</sup> civitatibus de quibus Ysa. IX (*recte 19,18*) : "In die illa erunt quinque civitates in terra Egipti loquentes lingua Chanaan [...] Civitas solis vocabitur una". Egiptus interpretatur meror, terra Egipti est caro Christi que in morte fuit in magno merore. Hebr. V<sup>o</sup> (cf. Hebr. 5,7) "Quia lacrimis et clamore, etc.". In hac terra id est in carne Christi fuerunt V<sup>que</sup> civitates id est quinque vulnera que sunt civitates refugii ad quas quicumque refugerit a morte liberabitur. Fuge ergo ad has civitates minas extra quas qui inventus fuerit occidetur. Unde Gen. VII (*cf. Gen. 7,22-23*) dicitur quod omnis caro que reperta est extra archam aquis diluvii est deleta. In archa igitur, id est in passione Christi est tantummodo, ad ipsam vitam igitur fuge ut tibi dicatur illud *Iudith V (recte: Ruth 2,12)*: "Plenam mercedem recipies a Domino ad cuius alas confugisti". extensis igitur duobus brachiis in cruce suscipit ad se confugientes et abscondit in suis vulneribus a conturbacione demonum et temptacione. Fugite ergo peccatores ad vulnera Christi quia ipsa apud Deum non petunt vindictam de peccatis sed misericordiam. Ideo dicitur hic Ge. Locuuntur lingua Chanaan quantum peccaverunt comutata quia conmutavit vindictam Dei in misericordiam inplorando pro peccatoribus non vindictam sed misericordiam. Hebr. XII (*cf. Heb. 12,24*): "Accessistis ad sanguinem Christi melius loquen<sup>b</sup>tem quam Abel . Sanguis enim Abel clamat vindictam sed sanguis Christi misericordiam. Unde Bernhardus: "Securum o homo accessum habes ad Deum, etc. Et licet omnia Christi vulnera sint sicut civitates nostri refugii, specialiter tamen vulnus laterale est omnium peccatorum refugium singulare propter quod dicitur hic quod civitas solis id est Christi vocabitur una quia

plaga lateralis Christi qui est sol animarum est speciale refugium omnium fidelium quia ex ipso fluxerunt specialiter sacramenta per que requirantur peccatores. Unde Iohannes XIX (*Io. 19,34b*): "Et continuo exivit sanguis et aqua". Et per ipsam porta paradisi aperta est. Et ideo hec plaga signatur per scissionem veli in templo de qua in passione dicitur quod postquam unus militum lancea latus eius aperuit, (*Mc. 15,38; cf. Lc. 23,45*) "velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum". In aperto enim latere Christi cum lancea Longini statim aperta est porta paradisi et in tantum sbarrata quod ex omni parte mundi anime fidelium possunt ad gloriam paradisi libere introire. Ideo de hac plaga dicitur Gen. XXVIII<sup>o</sup> (*cf. Gen. 28,17*): "Hec domus Dei et porta est celi".

**Secundus adventus** Christi est in nostram mentem de quo dicitur hic (*Lc. 21,25*): "Erunt signa in luna". Signa autem in luna sunt de quibus dicitur Apok. VI (*Apoc. 6,12b*): "Luna facta est tota sicut sanguis". Dicitur autem luna quasi liminum una et significat animam humanam que inter creaturas intellectuales est una que ad hoc est creata ut celestia sapiens creatorem laudaret et cum beatis spiritibus iubilaret. Et sicut luna non habet lucem nisi a sole, ita anima nostra lucem gratie divine nisi a Christo. Ad hoc autem quod possit a Christo lumen gratie accipere oportet quod sit elevata a terra per contemptum omnium mundanorum, quod sit fixa in celo per desiderium eternorum, quod sit munda intra seipsam sicut luna per expulsionem omnium viciorum, et hoc per integram confessionem, et tunc lumen gratie divine recipit a Christo vero sole, per quam gratiam gloriosa fit coram Deo. Sed sicut luna non est confirmata in lumine, immo perdit, sic anima que est confirmata in gratia in hoc mundo. ideo potest eam perdere. Perdit autem luna lumen quando terra interponitur inter solem et ipsam. Sic anima lumen gratie amittit quando inter ipsam et Christum sit interpositio terrenorum desideriorum forcius terrenis quam Deo per amorem inherendo et sic ex nimia vicinitate terre vel amore nimio ad terrena anima contrahit culpe nigretudinem et amittit lucis divine claritatem, sed non irrecupabiliter, sed si vult eam recuperare debet ipsam animam converti totaliter in sanguinem. Sanguis est contritio cordis ex Dei offensa. In quam contritionem debet tota anima converti. De quo sanguine dicitur Hebr<sup>e</sup>. IX (*Heb. 9,19-20; cf. Ex. 24,3 seqq.*): "Accipiens Moyses sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et ysope ipsum quoque librum et omnem populum aspersit dicens: Hic sanguis testamenti quod mandavit ad nos [*Vulg. vos*] Deus. Tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine aspersit. Et omnia in sanguine pene mundantur secundum legem et sine sanguine effusione non fit remissio". Quod ista significant videamus. Cum enim misericors Deus venit in mentem peccatoris ad ipsum conversi, tunc Moyses capit sanguinem, aquam, lanam coccineam, ysope. Moyses est peccator iam conversus ad Deum, assumptus de aquis Egypti id est elevatus a temporalibus per eorum contemptus cuius anima debet ista accipere scilicet sanguinem dolorose contritionis, aquam lacrimose confessionis, lanam innocencie et puritatis, coccineam amoris et caritatis, et ysope reverencie et humilitatis. Cum istis quinque debet aspergere librum id est sui cordis secretum, populum id est multitudinem suarum cogitationum tabernaculum id est corpus proprium, et omnia vasa id est omnes sensus suos per dolorem scilicet contritionem, quia in sanguine contritionis fit remissio. Dicimus igitur: "Erunt signa multa", id est in anima quando per signa exteriora penitentes cognoscunt interiora signa contritionis, quando scilicet castitas est in corde, humilitas in opere, abstinentia in cibo, honestas in gressu et utilitas in habitu. Hec sunt testimonia contritionis, nam quod et anima sit illuminata a Christo, Apoc. XVIII (*cf. Apoc. 18,1*): "Terra illuminata est a Christo et a gloria eius". Nam que per amorem terrenorum similis erat terre, modo conversa ad Deum et ad amorem Christi illuminata est a gloria Christi, Apoc. XXV (*cf. Apoc. 21,23*): "Claritas Dei illuminat eam". Et istius<sup>b</sup> illuminationis testimonia sunt penitentia in corpore et honestas in conversione. Unde pri.a Thy. III (*1 Tim. 3,7*): "Oportet autem testimonium bonum habere ab hiis qui foris sunt", scilicet a castitate, humilitate, abstinentia, paciencia, temperancia, longanimitate, quod anima gratiam Dei recipit. Et ideo poerit tunc dicere penitens illud Deut.o XXII (*Deut. 22,17*): "Hec sunt signa verginitatis filie mee", id est castitatis et renunciacionis anime mee. Et per adventum sic spiritualem in animam luna id est anima fit a Christo illuminata lumine gratie divine dicens illud Psa. (*Ps. 26,1*): "Dominus illuminatio mea".

**Tercius adventus** Christi est ad mortem cuiuslibet de quo dicitur (*Lc. 21,25*): "Erunt signa in stellis". Signa autem sunt illa de quibus Apok. VI<sup>o</sup> (*Apoc. 6,13*): "Stelle ceciderunt de celo super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento movetur". Et Ysa. dicit de homine in articulo mortis laborante (*Is. 8,21b-22*): "Suscipiet sursum et a terra (*Vulg. ad terram*) intuebitur et ecce tribulatio et tenebre et dissolutio et angustia et caligopersequens et non poterit avolare de angustia sua". In morte enim articulo est tribulatio infirmitatis que cruciat, tenebre in oculis qui tunc lumine privantur, dissolutio et dolor in membris et caligo persequens id est timor pene infernalis et pavor ex presencia diabolus animam egressuram recipientis. heu miser homo quid faciet? Si sursum respiciet, timebit divinum iudicium; si terram intuebitur expavescet inferni supplicium et faciet ultimum deponitum (?) quia non poterit avolare id se liberare de angustia et dolore mortis, quando cadat et moriatur et revertatur in terram scilicet corpus suum cum omnibus delectacionibus suis. Et hoc est quod debet esse et quod dictum est: Stelle ceciderunt de celo", id est homines vivi et fortes ceciderunt de statu suo in quo firmiter stare et diu vivere credebant super terramde qua facti sunt. Gen. III<sup>o</sup> (*Gen. 3,19*): "Pulvis es et in pulverem reverteris", sicut ficus cum a vento magno movetur emittit fructus suos ad terram, ita corpus humanum cum a magnis mortis doloribus concutitur perdit sensus et membra sua et cadit mortuum | <ra> in terram. Unde "Erunt signa in stellis", id est in morituris hominibus sunt debilitas corporis, dolor capitis et affliccio in membris, obscuritas visus, surditas auditus, morbus dencium, gravitas tybiarum, febris in ossibus et discrepancia in humoribus. Hec sunt signa in stellis id est quod homines in proximo morientur. Et tunc homines mundani et carnales invenient se deceptos de mala vita quam tenuerunt et de vana spe quamcumque habuerunt et erubescunt et confunduntur. Et hoc est quod dicitur eis Ysa. (*Is. 1,29b-31*): "Erubescetis super ortis quos elegeratis, cum fueritis sicut quercus defluentibus foliis, et velud ortus sine aqua. Et erit fortitudo vestra u favilla stipe que succendetur et non erit qui extinguat". In fine enim vite homines carnales erubescunt super ortis gule et luxurie, avari super ortis avaricie et rapine quas elegerunt pro consolacione sua et

erunt nudi in morte et aridi sicut quercus defluentibus foliis id est deliciis et divitiis mundanis. Et sicut ortus sine aqua quia omnis delectatio et consolatio mundana deficiet et cessabit, tunc fortitudo eorum id est superbia et potentia in honoribus et divitiis in quibus confidebant, fiet sicut stappa modica (?) que a demonibus succendetur igne infernali qui nunquam extingwetur. Ysa.LXVI (Is. 66,24): "Vermis eorum non morietur et et ignis eorum non extingwetur".  
Quartus adventus **erit Christi ad iudicium de quo dicitur (Lc. 21,25b): "Erit in terris pressura gencium"**.

I Predicatori del rinnovamento religioso in Praga: Iohannis Milicius de Cremsir- Jan Milč z Kriměříže [†1374], Padre della Riforma, e Mattia di Janov, Regulae Novi et Veteris Testamenti [anni Ottanta]; alla fine Trecento e inizio Quattrocento, testimoni della presenza dell'Anticristo: **Stefano di Kolín, Francesco Minorita** [*Additiones ad sermones Francisci de Abbatibus Astensis*], **Stanislao di Znojmo** [*De antichristo*: l'esistenza dell'anticristo è oggetto di fede, ved. Preuss].

**Di Francesco minorita si è letta l'Additio al Sermone della Prima Domenica d'Avvento di Francesco degli Abati di Asti (Luca 21,25, mas. VII B 16 della Biblioteca di Stato- Clementinum di Praga: sul versetto Erunt signa in sole et luna et stellis , Francesco sulla scorta di Girolamo, di Pietro Comestore e Nicola da Lira parla dei *Quindici segni* che annunciano e precedono al fine del mondo sui quali ved. William W. Heist, *The Fifteen Signs Before Doomsday*, East Lansing 1952. Francesco minorita cita Isaia 13,10 "Obtenebratus est sol in ortu eius" e riferisce "eius" all'Anticristo "Et ipse Antichristus erit valde clarus quia ubique nomen eius, virtus et potentia predicabitur". (Vedasi R: Cegna, Anticristo boemo in file: Huss-cartella Medioevo)**